

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.



1715:

1. Greiner, Francisc. Augustinus Sebast.: De successione principum et illustrium personarum lege, vel pacto obveniente. 2. Vindl. 1715. 21736.
3. Meier, Thomas Henricus, Franc. juris rici decanus: l. b. d. / us de p[ro]prietate in ang. Joh. Christiani Uelselii invitat.
4. Meier, Jo. Henricus: De moralitate actionum injuriarum; aliorumque remedium ex p[ro]f[er]tibus.
5. ^{alt} Meier, Jo. Henricus: Ornamentis in ang. juridica, sistens quae imperatorum.
6. Meyer, Joh. Henricus: De praerogative, quae in jure gaudent foeminae praemaritibus.
7. Otto Henricus Fredericus: De ratificatione multationum extrajudicialium in causis matrimonialibus.

8. Reuschius, Etkardo: *Ornatio inang. ad l. m. C.*
non lic. habitat. metropolitana ad loca sua ad extraneam
transfere . . .
9. Streit, Joh. Philipp; *Facult. jurid. decanus (l. b. S.)*
(ad orpulationem inang. Thom. Wegneri invitato)
10. Streit, Joh. Philipp; *Facult. jurid. decanus (l. b. S.)* *(ad*
orpulationem inang. Joh. Wlth. Weissii invitato)
11. Streit, Joanes Philippus: *De foro competente*
12. Wegner, Thomas: *De beneficii sine homicidio*
per venenum attentati in casa ubi mors non
ipsa secuta poena capitali exemplo casu
specialis coram Praefectura Lipsiensi ventilati
 1716.
1. Streit, Joanes Philippus: *De usuris a feudi institutione*
Orros II feud 2 pr.

2. Eyselius, Francus Philippus : De febris syncope ali.
3. Eysellius, Francus Philippus : De febre castrensi
4. Hartmann, Johannes Christophorus : De pactis solutibus
in vin contractas in testis
5. Hoffmannus, Christianus Vollicus : De mandato proce-
sumto ex lege descendente occas. § 2 lit. 7. vid.
processus Sax.
6. Heurt, Francus Philippus : De jure Cupidum terminan-
dum
7. Molitor, Urbanus Fraccidus Jacobus : Quasi Fari-
dicam.
8. Post, Hermannus : De Divinis imperatorum titulis
eorumque origine
9. Reiskorth, Tobias Jacobus : De jure proprium persequendi
interesse, cum famus proximus.

10. II. Reinhardt, Tobias Teolus : De transmissionis actuum
 iure, ejusque abusu. 2 Junii. 1716 : 1727
12. Reinhardt, Tobias Jacobus : De transmissione
 conjugii bona gratuita
 deservente.
~~actuum iure, ejusque abusu 2 Junii. 1716 : 1727~~
13. Streit, Joannes Philippus, Facult. juridicae Decanus :
 . . . l. b. s. (ad dispensationem inang. Carolini
 Gallici Hoffmanni irrita)
14. Streit, Joannes Philippus, Facult. juridicae Decanus
 l. b. s. (ad dispensationem inang. Jacobi Martini
 Lubecii irrita)
15. Streit, Joannes Philippus, Facult. juridicae Decanus :
 l. b. s. (ad dispensationem inang. Adm. Willh. Ruckii
 irrita)
16. Streit, Joannes Philippus : In rita, cuius statuto localis
 ex suis et repositis manibus bonis certa portio tribuitur,
 hanc penitus repudiare et illata repetere ?

1716.

17. Stiert, Joannes Philippus : De appellatioibus recipiendis

vel non.

18. Tenzell, Ernestus, Facult. juridicae Decanus : l. b. s.

(ad Disputationem inang. Johannis Philippi Taldemini
invitatus)

19. Tenzell, Ernestus, Facult. juridicae Decanus : l. b. s.

(ad Disputationem inang. W. G. G. Franc. Jacobi Malin-
geris invitatus)

20. Tenzell, Ernestus, Facult. juridicae Decanus : l. b. s.

(ad Disputationem inang. Andreae Peckelii invitatus)

21. Tenzell, Ernestus, Facult. juridicae Decanus : l. b. s.

(ad Disputationem inang. Johannis Antonii Gschwi-
neri invitatus).


22. Tenzell, Ernestus : De advocati jure circa causam
in jure patrio

1716

23. Tenzel, Ernestus: De votibus ecclesiarum Vna
Pfarr - Votulen.

24. Tenzel, Ernestus: De iurejurando in Civibus

25. Tenzel, Ernestus: De documentorum recognitione





DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA, ⁷
SISTENS

ohne Widmung!
JURA IMPUBERUM, ⁶

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO, ^{17/5,}
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO, ^{5b}
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,
S. R. I. COMITE DE BOINEBURG,

SACRAE CAESAREAE ATQVE REGIAE CATHOLICAE MAJESTATIS CONSILARIO
INTIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarUM MO-
GUNTINAE ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITVLARI SENIORE, ET RESPECTIVE
SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-
GUNTINI CONSILARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQVE
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE,

CONSENSU INCLYTI JCTORUM ORDINIS
IN PER-ANTIQA GERANA,

PRÆSIDE

DN. JO. HENRICO Meier/ JCTO,

EMINENTISS. PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNT. CONSILIAR. HUIUS REGIMINIS,
JUDIC. PROVINCIAL. ASSESSORE PRIMAR. PROF. DECRETAL.
PUBL. FACULTAT. JURID. P.T. DECANO
ET SENIORE,

PATRONO SUO SUSPICIENDO,

PRO DIGNITATE DOCTORALI

ET SUMMIS INUTROQVE JURE PRIVILEGIIS ATQVE
IMMUNITATIBUS RITE AC SOLENNITER
CONSEQVENDIS,

IN AUDITORIO MAJORI, HORIS CONSVETIS,

DIE X. MAJI ANNO M DCC XV.

PUBLICÆ DISQVISIONI SUBM.

JOANNES CHRISTIAN. OELSELIUS,
LUCCA-LUSAT.

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

DISSEPTATIO IN IURIS JURIS

JURIS
IMPERIALIS

IN IURIS
IMPERIALIS

IN IURIS
IMPERIALIS

IN IURIS
IMPERIALIS

IN IURIS
IMPERIALIS

~~71.~~
~~41.~~





DISSERTATIONIS INAUGURALIS
DE
JURIBUS IMPUBERUM

§. I.



Ura Impuberum Dissertatione Academica exposituris ipsorum etiam nominum horum consideratio, moribus praesertim à plerisque haecenus receptis id suadentibus, non plane praetermittenda videtur. Et facile equidem, quid per jura hinc intellectum velimus, (cujus vocis significatio alias æquivocatione non caret) Lectorem hariolaturum existimamus, nil nimirum aliud, quam privilegia quaedam atque beneficia, quæ personæ certæ vel expresso Legum indultu, vel consuetudinis ratione eadem tribuente, gaudent; qualia Impuberibus etiam haud pauca competere, nemo facile ignorabit. Impuberum autem nomine vel in latiori, vel intricatiori significatione uti nonnulli consueverunt.

§. II.

In latiori nimirum significato Impuberes dicuntur omnes ii, qui infra pubertatis annos sunt constituti, ita, ut etiam infantes Impuberibus accenseantur, §. g. *Inst. de inut.*

A 2

siq.

Imp. in strictiori autem ii tantum Impuberum nomine veniunt, qui infantia quidem sunt maiores, pubertatis tamen annos nondum expleverunt. Nos hic in priori i. e. latiori sensu impuberes dicimus omnes eos, qui alioquin etiam pupilli *L. 239. pr. de V. S.* item pueri vocantur. Quamvis enim nonnulli discriminare impuberes atque pupillos velint, impuberes appellitando quosque, qui pubertatem nondum sunt ingressi, *L. 14 ff. de Scto Silan* pupillos verò non nisi eos, qui infra pubertatem, & simul patria potestate liberati sunt, *d. L. 239. ff. de V. S. Cujac. Lib. II. Observo. c. 23. impr.* differentiam tamen illam non agnoscit Jus Civile nostrum, utpote quod pupillorum nomen etiam illis accommodat, qui potestati parentum adhuc sunt subjecti, *L. fin. §. 2. ff. de V. Obl. l. 7. §. 3. de pecul. l. 4 C. de necess. serv. hered. instit. Ludw. ad pr. Inst. de pupill. substit. n. 2.*

§. III.

Sic etiam nonnulli, quos inter quoque *Panormitanus* in *c. 2. X. de voc. & vot. redem. c. 5. & c. 13 de asp. Impub.* autumant, quod saltem infantia majoribus puerorum nomen proprie conveniat, *vid. Spig. in lex. Jurid. voc. pueri*; Sed infantes etiam nonnunquam puerorum puellarumque nomine appellari usu venit, *c. 12. X. de desp. Imp* Orphani tamen, qui Germanice *Waisen* vocantur, reverà distinguuntur à pupillis & impuberibus, ceu ii, qui paterno prasidio privati sunt, sive infra, sive supra pubertatem ipsorum ætas consistat.

§. IV.

Determinandum autem præpimis est, quonam ætatis anno pubertas attingatur: quã in re aliter disponit Jus Civile, quam Jus Canonicum. Illud enim certo termino, in maribus nimirum anno decimo quarto, in feminis autem duodecimo, pubertatem circumscribit, *pr. Inst. quib. mod. tutel. fin. l. ult. C. quando Tut. vel Curat. esse desin.* cum contra Canones non tam ex annorum numero, quam corporis constitutione & generandi potentia, pubertatem asserunt, & Jure Civili impuberes, puberibus æquiparent, si mali-

malitia ætatem suppleat, c. 3. X. de desp. Imp. Schneidew. ad tit.
Inst. de Nupt. n. 10.

§. V.

Mirari interim quosdam sinit, quod ex Juris Civilis: (quo cum etiam facit hoc in passu Saxonico, Carpz. P. II. *Confl. XI. Def. 9.*) dispositione, feminis minor ætas ad pubertatem sufficiat, quam maribus, cum horum certe alioquin dignior, illarum autem sequior sit sexus. Et *Accursus* quidem atque *Baldus ad L. 5. ff. qui Test. fac. poss.* injuriosam hujus rei causam reddunt: ceu infelix lolium felicius crescat, ita etiam feminas citius pubescere, quam mares pronunciantes. Alii iisdem biennio citius, quam masculis matrimonium inire permissum esse dicunt, ne pudicitia in discrimen forte adducatur. *Beoldus in Disc. de Nupt. cap. 8. n. 8.* persuadere nobis satagit, Legislatores ita statuisse, quod putaverint, ad maritalem complexum majus requiri robur in mare, quam in femina, cum facilius sit pati, quam agere, femina verò in generatione passive tantum sese habeat. Cave autem hæc, quæ de feminarum pubertate in civilibus obtinent, ad criminalia etiam extendas, ubi feminae æque ac mares ante completum 14. ætatis annum pro puberibus non habentur, sed impuberum beneficio gaudentes, à pœna ordinaria liberantur, arg. *Ord. Crim. art. 164. Carpz. Prax. Crim. quæst. 134. n. 26.*

§. VI.

Ceterum Impuberes in tres quasi classes distinguuntur, nimirum vel sunt infantes, vel infantia proximi, vel denique pubertati proximi, § 9. *Inst. de inur. stipul.* diverso tamen modo atque sensu infantia proximi & pubertati proximi dicuntur: illi enim infantiam egressi esse debent; hi verò pubertatem nondum ingressi esse possunt, ut adeo in illis quidem ad tempus præteritum, in his autem ad futurum respiciatur. Quemadmodum verò ratione infantia & pubertatis, quo anno illa finiat, hæc verò incipiat, res extra dubitationis aleam ferè posita est, cum Jure Civili annus septimus pro termino infantiae definitus

finitus fit, tam pro maribus, quam pro feminis, ita ut infantes dicantur, qui septem annis sunt minores, *L. 18. pr. C. de jur. delib. L. 14. ff. de Sponsal. L. 1. §. 2. ff. de administ. & periculo Tut. & Curat. & c. 1. de desp. Impub. in 6. puberes vero, qui quæve ultra 14. & 12. ætatis annum procefferunt; Ita è contrario, quænam ætas infantia vel pubertati proxima fit dicenda, non satis liquet.*

§. VII.

Equidem ratione infantia quoque nonnulli DD. quos inter *Molinæus & Faber* litem moverunt, contententes; etiam bimulos, trimulos atque quadrimulos infantibus non amplius accensendos esse, si modo fari didicerint, nixi procul dubio argumento ab etymo vocabuli *infantis* ducto, utpote quod vocabulum ex *in & fando*, à *fari* i. e. loqui, compositum, vi etymi utique eum tantummodo denotat, qui adhuc fari non potest, cum hic *in* nil aliud, quam privationem, uti sæpius assolet, denotet; sed hi vix ac ne vix quidem audiendi sunt, cum Jus Civile, ut superius dictum, tam clarè infantia terminum, omnis ambiguitatis vitandæ causa, constituerit, adversus quam constitutionem ab etymo deducta argumentatio haud quicquam valere debet, eum satis constat, quàm parum roboris tales ratiocinationes & alias habere soleant, cum in vocum significatione ad usum potius, quam ad etymon fit respiciendum; & præterea etiam distingvendum esset, inter fari absolute & naturaliter tantum, & fari cum reflexione & iudicio, quod in bimulis vix unquam observabitur.

§. IIX.

Sed videamus nunc quam variè variè de ætate infantia & pubertati proxima sentiant. Quidam proximum infantia eum esse existimant, qui annos octo natus est, & proximum pubertati, qui undecimum annum inchoavit. *Hoffiensis* in *c. 6. X. de desp. Imp.* proximum pubertati eum habendum contendit, cui tres tantum dies ad pubertatis complementum deficiunt, sententiam suam stabilire conatus
ex

ex L. 3. §. ff. de lib. exhib. sed frustra. Innocentius in c. 6. §. 10. X. de desp. Imp. infantia proximos eos pronunciat, quorum infantia sex menses accesserunt; pubertati vero proximos, quibus ad huius plenitudinem sex menses adhuc defunt, per L. 17. pr. de excuf. tut. §. L. 14. ff. de SCo Silan. A qua sententia parum etiam absant Jacobus Cujacius ad §. 9. Inst. de inut. stipul. Petr. Fab. ad L. 5. de R. 7. & Joh. Borcholten in Comm. ad tit. de V. Obl. c. 3. n. 11. utpote qui pro infantia proximis venditant infantiam non ita pridem egressos, linguæ quidem gnaros, sed rerum ignaros; pubertati vero proximos eos asserunt, qui eidem ita appropinquant, ut semestre vel annum saltem ad eandem complendam emetiendum ipsis adhuc sit spatium.

§. IX.

Sed palmam hisce praripere videtur Accursii ad §. 9. Inst. de inut. stip. sententia, qui medium proportionale Arithmeticum inter infantiaæ atque pubertatis annos inveniendum, h. e. annorum infantiam atque pubertatem interjacentium numerum bifariam dividendum, & priorem semissem ad infantiam, posteriorem vero ad pubertatem referendam censet, ut adeo infantiaæ proximus dicendus sit, cujus ætas quidem ultra 7. infra tamen 10. a. 6. m. puella vero cujus ætas ultra 7. sed infra 9 annos 6. m. subsistit; & pubertati proximus puer, qui 10 a. 6. m. superavit, sed 14. nondum complevit; puella autem eidem proxima, quæ 9. inter cum dimid. & 12. annos versatur. Atque hic modus ætatem vel infantiaæ, vel pubertati proximam determinandi non solum per se satis est probabilis, sed etiam juris nostri civilis autoritate inniti videtur, utpote quod §. ult. 7. quib. ex caus. manum. non lic. it. §. ult. 7. de vulg. subst. nec non L. 41. ff. de hered. inst. in re dubia mediam eligendam esse viam pronunciat. Unde etiam eidem quamplurimi haud infimi ordinis DD. adstipulantur, inter alios nimirum Gomez. Tom. III. var. resolut. cap. 1. n. 57. Donellus ad L. 121. de Verb. Obl. n. 10. Bocerus de quest. & tort. c. 4. Joh. Bonifacius in Tr. de furi.

§. 10.

§. 10. n. 114. Hunnius *Lib. 1. var. Resol. tr. 4. qu. 16.* Hahnus
ad *Wesembec. de pat. n. 5.* Vinnius *ad d. §. 9. J. de inur. stip.*

§. X.

Hoc tamen non obstante alii iudicis arbitrio definiendum esse censent, quâ ætate ante pubertatis annos quis vel infantia, vel pubertati proximus sit habendus. *Salic. ad L. 7. C. de pen. Covarruv. P. 2. de matrim. Prosp. Farinac. P. III. pr. crim. quæst. 92. n. 15. Joh. Corasius L. 6. miscell. c. 23. n. 6. Kornmannus Tr. de virginit. c. 5. atque hi moventur autoritate Ulpiani in L. 1. §. 2. ff. de iure delib. pronunciantis: arbitrio iudicis esse relinquendum id quod nec expresse in LL. definitum est, nec per consequentiam ex iis deduci potest, cui effato etiam Jus Canonicum pollicem premit in c. ult. X. de transact. Nec est quod quis hanc de ætate pubertati, vel infantia proxima disceptationem pro inani, vel supervacanea habeat, siquidem in criminalibus haud parum refert infantia quis, an pubertati proximus sit habendus, cum non illum, sed hunc solummodo doli capacem esse proditum sit. L. 23. ff. de furt. l. 4. §. 26. in verb. denique ff. de doli mali & met. except. L. III. de reg. jur. l. 1. §. 15. ff. de pos. & c. 1. X. de delict. pueror.*

§. XI.

Ut autem ad ipsa tandem Impuberum jura consideranda accedamus, in primis annotamus, eadem non solum in æquitate naturali, sed etiam ipso jure Divino fundari, utpote quod singularem plane Impuberum curam gerit, eosdemque Principibus atque Magistratibus contra iniquorum ini-
quas oppressiones tuendos serio commendat, oppressoribus autem quævis extrema minatur, *Exod. 22. v. 22. 23. enim: Vidue & pupillo, inquit Dominus, non nocentis, si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestrae vidue, & filii vestri pupilli. Conf. Deut. c. 24. v. 17. Jesc. 1. v. 23. Jerem. 22. v. 3. Zachar. 7. v. 10. Malach. 3. v. 5. & Epist. Jac. c. 1. v. 27.*

§. XII.

§. XII.

Præstructo hac ratione, brevibus quidem, privilegiorum impuberum fundamento, paulo distinctius nunc de ipsis privilegiis dispendendum erit, quot, & quotuplicia nimirum eadem sint. Competunt nimirum Impuberibus certa jura tam in causis *Civilibus*, quàm *Criminalibus*, & illa iterum sunt vel *Judicialia*, vel *Extrajudicialia*, tandemque hæc ipsis conceduntur ratione vel *Personarum*, vel *Rerum*, de quibus nimirum disponere volunt; sive id fiat *ultima voluntate*, sive *inter vivos*; sive res sint *allodiales*, sive *feudales*. Atque secundum hujusce divisionis atque subdivisionis ordinem etiam nostra procedet tractatio.

§. XIII.

Cum circa *Judicium* primaria esse soleat quæstio de *fori* *competentia*, primo loco nobis hic expendendum erit privilegium illud amplissimum, quò, ratione *fori*, indultu *Constantini Imperat.* in *L. un. C. quando Imper. inter pap. vel vid. Ec.* Impuberes gaudent, vi cujus nimirum 1) extra domicili sui provinciam ne quidem per rescriptum Principis, vid. *Salicet. & Brunnem. in d. L.* in *Judicium* trahi possunt, quamvis etiam, ut *Interpres* nonnulli opinantur, *Judex* Provincie sit negligens, *Paul. de Castro in cit. L. un. n. 2.* *Sichardus ibid. n. 3.* *Joh. Oldendorpius Tr. de jur. sing. tit. de privileg. personar. miserabil.* 2) concessum ipsis est, ut adversarios suos è provincia ipsorum ad auditorium sive curiam Imperatoris evocare possint, unde multis certe impensis susperfedere queunt, quæ alioquin, si omnes instantiæ ipsis pertransfendæ essent, in litem erogandæ forent: quod quam gratum accidit impuberibus tam molestum est reis conventis, utpote qui beneficio primæ instantiæ hoc in casu se privatos vident, *Vultej. ad d. L. un. C. n. 18. ii.* *Brunnem. ad eand. Gail. l. 1. Obs. 1. n. 40.* *Carpz. Pr. 1. 3. art. 6. n. seqq.* Et quamvis privilegium hoc in Imperio nostro Romano-Germanico ratione adeundæ curiæ Imperatoris cesset, nec in Camera Imperiali, teste *Gail. d. L. 1. Obs. n. 40.* *Bocer. de jur.*

vid. c. 3. n. 4. Vultej. *ad d. L. un. C. n. 20.* Impuberibus concedatur; cuius tamen Imperii Statuum liberum esset; Impuberibus hoc Constantinianum privilegium confirmare, quemadmodum eodem illos in Electoratu Saxoniae etiamnum gaudere testatur Carpz. *Lib. 2. tit. 2. Resp. 19. n. 14. it. in proc. t. 3. art. 6. n. 6.* quid? quod etiam extra Imperium Romanum in Gallia atque Hispania privilegium istud adhuc vigere asserit Vult. *ad d. L. un. nec non Carpz. all. l.*

§. XIV.

Notari autem meretur dictum Constantini Imp. privilegium tum demum Impuberibus competere, si extra patriam potestatem fiat, *L. 293. de V. S. Brunnem. in Comm. ad sapius cit. L. un. C.* quod si enim in potestate patris vel etiam avi existant, eodem frui haud possunt. Ceterum non tantum pauperioribus, ut nonnulli cum Bartolo autumant, sed etiam ditioribus a Constantino Imp. indultum esse hoc privilegium censendum, cum in *L. illa unica C.* nullius plane differentiae inter pauperes atque opulentiores mentio fiat, sed unice ad pupillarem aetatem, quae plerumque opprimi solet, atque efficit, ut impuberes miserabilibus personis aequiparentur, respicit, Vultej. *ad d. L. un. Brunem. ibid. Gail. & Carpz. ll. alk.*

§. XV.

Quoad domicilium, quod alias fori competentiam tribuit, tenendum, Impuberes censei retinere domicilium parentis, *arg. L. un. C. ubi per. tut. Franzk. L. 1. resol. 16. n. 29.* cum enim is tantum domicilium sibi constituere potest, qui, ponderatis rerum suarum circumstantiis, de commodo diuturnioris mansionis loco apud animum suum decernere potest, cuique praeterea liberum est habitationem, quocunque velit, transferre. *Struv. Exerc. IX. ib. 27.* Impuberes autem intellectus maturitate nondum gaudeant; haud facile utique domicilium parentum mutasse praesumuntur, nisi forsitan majorem bonorum suorum partem alio transferant & immobilia praesertim in patria sua legitime vendant, reque

reque ipsa adeo atque facto ostendant, alium domicilii locum sibi electum esse, quemadmodum & alix obligationes, quæ re ipsa contrahuntur, in Impuberes cadunt, L. 40. ff. de O. & A. Bart. ad L. 1. de tut. dat. unde haud abs re Baldus L. 4. conf. 134. n. 1. Proprium domicilium, inquit, sibi constituere impuberes, & maxime infantes non possunt, scil. de novo & animo suo; sed tamen lex eis constituit, si habuerint ibi majorem partem fortunarum suarum, Franzk. all. l. n. 31. seqq.

§. XVI.

Circa citationem itidem observandum, infantes plane in jus vocari, sive (ut hodie sublato juris & judicii discrimine loquimur, Bachov. ad tit. de in jus voc. n. 3. Franzk. ibid. n. 20., citari non posse, sed saltem eorum tutores, L. 4. pr. ff. de in jus voc. L. 1. §. 2. de admin. & per. tut. Hillig. ad Donell. lib. 23. c. 2. lit. X. Carpz. in Pr. tit. 7. art. 2. n. 17. Patriter nec Impuberes infantia majores, si quidem in patris adhuc sint potestate, in jus vocari seu citari queunt, L. 22. pr. ff. de in jus voc. Hahn. ad Wesenb. eod. tit. n. 5, secus est, si sint sui juris, tunc enim citari quidem possunt, sed non solitariè, sed una cum suis tutoribus, alioquin citatio pupilli haud valet, L. 5 §. 1. ff. quib. ex caus. inpossess. eat. Minf. C. 2. Obsf. 35. Gail. L. 2. Obsf. 107. n. 7. Impuberes quippe absque tutore legitimam standi in judicio personam non habent, L. 1. & 2. C. qui legit. pers. standi in jud. L. 4. C. si adv. rem jud.

§. XVII.

Sententiam quoque contra Impuberes indefensos latam nullius esse momenti constat, L. 45. §. 2. de re jud. Carpz. Pr. tit. 16. art. 4. n. 33. nisi ea forsitan iisdem faveat, tum enim valore non destituitur, siquidem ratione favorabilium pupilli legitimam personam habere dicuntur L. 28. ff. de pact. pr. 7. de aut. tutor. Carpz. all. l. n. 37. modo tamen cum infantia majores, nam si adhuc sint ætatis infantilis, cum furiosis tum æquiparentur, sententia, si vel maxime

in ipsorum commodum lata sit, valere nequit. §. 9. *Inst. de inut. stip.* Mynf. *Cent. 2. Obs. 76.* Quemadmodum etiam si in bona impuberum immissio à Judice decreta fuerit, ipsis indefensis, immissus, defensione eorundem postmodum instituta, possessione decedere debet, L. 5. §. 2. & 3. *cod. lit.* cavendum ergo Judici, ne executionem rei judicatae contra impuberes tutoribus destitutos mandet, frustranea enim illa est, adeo ut bona, in quæ executio facta, ante omnia sint restituenda, arg. L. 1. C. *qui legit. pers. stand. in jud. hab.* L. 4. C. *si advers. rem jud.* Carpz. *in Pr. art. 1. n. 32.*

§. XIX.

Quoad processus formalia similiter favore quodam gaudent Impuberes, quod nimirum ad processus solennia nimis rigorosè observanda non adstringantur, præcipuè quoad terminum probatorium. Cum enim majores quoque nonnunquam, iusta ex causa, elapso licet termino probatorio, ad probandum ulterius admittantur, L. 1. C. *de dilat.* Gail. L. 1. *Obs. 105. & Obs. 107. n. 5.* Berlich. *P. 1. Concl. 14.* Carpz. *in Pr. 1. 13. art. 172.* & minores, propter ipsis competens beneficium restitutionis in integrum, post lapsum dicti termini itidem audiuntur, L. 36. *ff. de minor. c. 3. X. de in integr. rest.* à fortiori concludere licet, hoc beneficium impuberibus non esse denegandum, cum jura ipsis longe magis faveant, quam minoribus, nedum majoribus.

§. XIX.

Ad beneficia, quibus Impuberes in judicio gaudent etiam hoc referri meretur, quod à perhibendo testimonio excusentur, ob tenellam nimirum ipsorum ætatem, L. 3. §. 5. *ff. de test.* L. 19. §. 1. *ff. cod. C. testes 1. qu. 3. Caus. 4.* Nec ad actus extrajudiciales testes ipsi adhiberi possunt, e. gr. in testamentis, §. 6. *Inst. de test. ord. ibique* Vinn. *n. 2. L. 20. in pr. ff. qui test. fac. poss.* nec tandem in criminalibus, L. 20. *ff. de testibus*, Hahn. *ad Wesenb. de test. n. 3.* Duaren. *ad tit. de test. n. 9.* nisi gravitas causæ, vel delicti atrocitas aliud svadeat, quemadmodum e. gr. in crimine læsæ Majestatis etiam Impube-

puberum testimonium admittendum videtur, arg. L. 10. in pr. §. 1. ff. de quest. Duaren. cit. l. Hunnius ad Treutl. Vol. 2. Diss. 5. th. 8. Strauch. Dissert. 25. aph. 13. Præterea etiam tanquam habiles testes Impuberes produci possunt in negotio difficilis probationis, ubi de veritate, nisi mediante impuberum testimonio, constare non potest, tum enim ipsorum depositioni standum erit, Farinac. de test. quasi. 62. Carpz. P. 1. Const. 16. def. 73. Struv. Exerc. 28. thes. 41. Sic in processu inquisitorio Puer qui vix dum infantiam excessit super facto difficilioris probationis, si ex ipsius testimonio veritati lux accedere possit, examini subjiciendus erit.

§. XX.

Pubertati proximorum etiam testimonium præsumtionem minimum veritatis operari, ita, ut, deficientibus aliis testimoniis vel probationibus, juramentum alicui deferri possit, DD. statuunt, quod in praxi observandum monet Sichard. L. 2. §. 2. C. de jurej. propter calumn. dand. n. 4. §. 5. Hahn. ad Wesenb. de test. n. 3. quin etiam puberes facti de eo quod in ætate impubere viderunt, testari possunt, per tradita à Farinac. de test. qu. 58. n. 53. Oldendorp. de test. c. 4. n. 17. Hahn. d. l. Carpz. P. 1. Const. 16. def. 55. quod tamen ad id temporis restringendum est, quo aliquo, licet non plenario rationis usu polluere, Carpz. in Pr. tit. 13. art. n. 112. unde non poterunt, impuberes, facti puberes testimonium perhibere de eo, quod in infantia viderunt, L. 14. de Sc. Silan.

§. XXI.

Ex eo, quod de Impuberum regulariter non exigendo testimonio hæctenus diximus, in proclivi est colligere, multo minus ad juramenti præstationem eos adigendos esse. Cum enim substantia quasi depositionis in juramento consistat, L. 9. pr. C. de test. impuberes autem, ut antea vidimus, regulariter ad illam sint inhabiles, multo minus ad juramentum habiles erunt, utpote quod longè majoris est momenti, Zæf. ad ff. de jurej. n. 5. quare etiam juri civili con-

sentaneum est, ex praestito juramento impuberes non obligari, arg. L. 5. in fin. C. de LL. Setser. de juram. cap. 1, 4, 5, 10, 11, & 13. nisi forsan per indirectum, ut perjurii poenam evitent, quod tamen de pubertati proximis tantum accipiendum, utpote doli capacibus. Jure Canonico autem utique Impubes per juramentum obligatur, modo intelligat, quid sit juramentum, c. 28. X. de jurej. & c. 1. X. de delict. puer. nihilominus ad id ipsum cogi nequit, n. 14, 15, 16. quest. 5. caus. 22.

§. XXII.

Hoc autem de juramento impuberum non admit- tendo vel obligante, intelligendum solummodo venit de juramento confirmatorio vel promissorio, non vero de litis decisorio, hocce enim Actor in judicio cuilibet, cujuscunque sexus, aetatis aut conditionis ille sit, deferre potest, L. 26. pr. de jurej. quod si igitur illud delatum acceptaverit Impubes, admittendus erit, Gothofred. ad d. L. 26. Setser. de juram. L. IV. cap. 3. n. 5. Borcholten de jurej. c. 14. n. 7. Carpz. in Pr. tit. 11. art. 2. n. 10. si vero impubes jurare recuset, juramentum ejusmodi litis decisorium sibi delatum, fas haud erit, ut ad id praestandum cogatur, L. 34. §. 2. ff. de jurej. ob animæ periculum, quod tali in casu facile incur- rere possit: hinc vel differenda erit juramenti praestatio usque ad annos pubertatis, vel juramentum referendum, Carpz. P. 1. Const. 12. def. 42. Non autem, quemadmodum in arbitrio impuberis positum est, velitne delatum sibi ju- ramentum praestare nec ne; ita etiam libera ipsi est jura- menti delatio, quippe dum rerum suarum administratio- nem non habet, L. 17. §. 1. de jurej. absque tutoris autoritate juramentum neque deferre, neque delati gratiam facere potest, L. 17. §. 1. & L. 32. ff. eod. L. 1. §. 1. ff. quar. rer. act. non det. ne quidem ipsi suo tutori super actione tutela, L. 4. C. de reb. cred. Zanger. de except. P. III. c. 16. n. 42. Borcholten de jurej. c. 3. n. 9. Carpz. P. 1. Const. 14. def. 12.

§. XXIII.

§. XXIII.

Tandem nec iudicis officium Impuberibus demandandum esse, in propatulo est, L. 12. §. 2. ff. de jud. L. 2. §. 1. de reg. jur. utpote quod vel maxime iudicii maturitatem requirit, quam in impuberes vix unquam cadere quivis forsitan largietur; unde nec in eos ut arbitri sint, commissio valere potest, L. 9. §. 1. ff. de recept. qui arbitur. præsertim cum & puberes 20. annis minores ab arbitrio removeantur, L. 41. ff. de recept. qui arbitur.

§. XXIV.

Perlustratis sic iuribus quæ in iudicio impuberibus competunt, ordinis, quem nobis superius præscripsimus, ratio exposcit, ut ea, queis extra iudicium, & primò quidem ratione personæ, gaudent, trutinemus. Atque hinc prætermittendum non videtur insigne illud privilegium, de conservanda vita impuberum, præsertim autem ætatis infantilis, in expugnatione urbium, quò ipsum ipsis jus Divinum prospexit, Deut. 20. v. 14. cujus rei ratio, juxta eam, quam ipse DEUS adducit sequ. cap. 24. v. 16. Ezech. 18. v. 20. & 2. Paral. 25. v. 4. procul dubio est, quod tales innocentia consilii tueatur, L. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar. quod loca attinet, quæ superius citato obfata videntur, puta Gen. 7. v. 22. Gen. 19. v. 25. Exod. 20. 5. Num. 16. v. 32. Deut. 5. v. 9. Sam. 15. v. 3. I. Reg. 21. v. 21. ad ea in genere respondendum videtur, quod licet DEUS legem de conservandis in ^{inviolabili} infantibus tulerit, ipsi tamen, tanquam summo & plane ^{divinorum} Legislatori, integerrimum sit, quotiescunque ipsi visum fuerit, hanc legem suspendere. Vid. quæ ad conciliationem allegat. loc. adferunt Corn. à Lap. ad d. C. S. Deut. v. 9. Conf. quoque Aug. Epist. 75. ad Auxil. Epist. cujus sententia expressa est c. 1. qu. 2. caus. 24.

§. XXV.

Ex juris civilis autem dispositione primo impuberes ab omnibus officiis civilibus sunt immunes, L. 2. §. 1. de R. J. quamvis etiam necessitas penuriæ hominum cogat, uti loquitur

quitur Jctus in L. 2. §. 1. ff. de jure immunit. quod pariter obtinet ratione officiorum Ecclesiasticorum, c. 3. de atat. & qual. presic. siquidem ad Ecclesiarum regimen non nisi tales personæ sunt eligendæ, quæ discretionè præminent, morumque fulgent honestate, uti verba habent in all. c. 3. Vid. Desselii Erotemata Jur. Can. ad d. i. Accipiendum tamen hoc solummodò est de officiis & dignitatibus quibus conjuncta est administratio, ad alias enim dignitates, administrationem non requirentes, etiam Impuberes videntur habiles, L. 1. C. de muner. & hon. L. ult. C. de test. mil. Sic in Ecclesia cathedrali canonicatu gaudere possunt, licet suffragii facultate ipsis carendum sit, c. 32. de Elect. in 6. Dec. ad L. 2. §. de R. J. n. 8. quid? quod etiam jure hæreditario vel successione, dignitatem cum administratione consequi possunt, quo in casu tamen administratio tutoribus competit, c. 2. X. de suppl. neglig. Pralat. Dec. in L. cit.

§. XXVI.

Ratione adoptionis impuberum silentio prætereundum non videtur, quod ex juris civilis dispositione infantes adoptari quidem, L. 42. ff. de adopt. non tamen arrogari possunt, L. 5. ff. eod. Et veteri quidem jure neque impuberes infantia majores arrogari poterant, Ulpian. in fragm. tit. 8. Gell. L. 5. c. 19. Zaf. ad ff. de adopt. n. 9. Vinn. ad §. 3. J. de adopt. sed postea eorum arrogatio permissa fuit, non tamen omnibus, inprimis tutor fuit prohibitus pupillum tutelæ suæ commissum arrogare, ne nimirum in ejus potestate esset, finire tutelam, & substitutionem forte à patre factam extinguere, L. 17. §. 1. ff. de adopt. in certis tamen casibus & peculiaribus ex causis nonnunquam etiam tutori arrogare licet, L. 32. §. 1. eod. Hahn. ad Wesenb. cit. tit. n. 4. Regulariter verò iis tantum arrogandi facultas data est, qui sanctissima affectione erga pupillum ducuntur, aut naturali cognitione eidem juncti sunt, c. L. 17. §. 1. de adopt. unde specialis causæ cognitio arrogationem præcedere debet, ut dignosci possit, an eadem honesta atque

que pupillo proficua sit futura, §. 3. 7. de adopt. Schneidew. Harprecht. & Vinnius in Comment. ad hunc §. 3. Ludwel. Exerc. 2. lib. 8. Strauch. Dissert. 4. aph. 20. hæc & alia huc spectantia fufius persequuntur.

§. XXVII.

Singulare quid etiam hoc est, quod alimenta impuberibus usque ad pubertatis annos legata, præstari ipsis debeant non solum usque ad 14. vel 12. annum sed usque ad plenam pubertatem, ob favorem nimirum alimentorum, L. 14. §. 1. ff. de alim. & cit. leg. horum autem nomine veniunt omnia illa, sine quibus corpus exhiberi non potest, ut cibaria, vestitus, habitatio, L. 6. ff. eod. non verò sumtus ad disciplinas humaniores addiscendas c. l. 6. Hahn, ad Wesenb. eod. tit. num. 1. nisi vel dispositione legis debeantur, ut à tutore, qui prospicere debet pupillo non tantum de alimentis, pro facultatum ejus ratione, t. t. C. de alim. pup. præst. l. 2. & 3. ubi pup. educ. sed etiam de informatione, L. 4. ff. ubi pup. educari deb. L. 12. §. 3. de administr. & per. tut. L. 6. §. 5. ff. de Carbon. Edict.

§. XXIX.

Patrem Impuberibus alimenta præstare vel jure naturæ oportet, nec solum legitimæ procreatis, sed etiam ex concubitu cum femina non meretriciam vitam proficiente, progenitis, juxta c. 5. in fin. X. de eo, qui dux. in matr. & L. 9. C. de patr. potest. Hahn. ad L. Jul. de adult. Carpz. P. II. pr. crim. qu. 84. n. 104. & 105. it. P. IV. Const. 27. def. 5. Nec calculum adjicere possumus Dan. Möllero ad d. Const. 27. n. 2. Hartm. Pift. Observ. 97. Cölero P. III. Dec. 176. n. 90. matri alimentacionem infantis, usque dum ad tertium ætatis annum pervenerit, injungentibus, & pro confirmatione sententiæ suæ d. L. 9. C. de patr. pot. allegantibus, cum hæc ipsa lex tamen ad alimentum lactis solum referenda sit, sciendum enim tum temporis ante triennium infantes non fuisse ab lactatos, uti testatur Gothofredus ad d. L. 9. Bachov. & Hahnus ad t. de agnosc. & alend. lib. n. 4. Præstanda autem
C sunt

sunt alimenta à parente impuberibus, donec sibi ipsi eadem parare, seque suis operibus exhibere possint, ut loqui amat *L. 5. §. 7. ff. de agnoscend. & alend. lib.* quo anno vero sibimet victum & amictum quærere posse putandi sint, certa atque universali regula definiri vix ac ne vix quidem potest, sed iudicis arbitrio relinquendum. *Carpz. in pr. Crim. all. l. n. iii.* pro alimentis quotannis usque ad annum decimum tertium 12. sexagenas antiquas, *alte Schock / quarum quæque est 20. grossorum Misnicorum ut adeo 12. efficiant 10. imperiales pro alimentatione adjudicatas refert.*

§. XXIX.

Impuberibus porro, qui in potestate non sunt, quique, ut superius monuimus, proprie pupilli vocantur, *L. 239. pr. de V. S.* cum per ætatem se ipsos defendere nequeant, *§. 1. Inst. de tut.* sed propter iudicii imbecillitatem facile à malefariatis circumveniri quovis modo possint, ipsà dictante æquitate naturali, à jure civili tutelæ beneficium datum esse, tam notum est, quam quod notissimum, *§. 1. ff. de tut.* eo majoris autem momenti hoc est beneficium, quod regulariter illud & sua natura sit gratuitum, *Bald. in L. meminimus in fin. C. de legit. hered.* nec nisi peculiari ex causa tutor salarium petere possit, puta si forsàn Advocati munus pupillo vel aliam ejusmodi operam, ad quam vi tutelæ non tenetur, præstiterit, *L. 33. §. fin. de admin. tut.*

§. XXX.

Est autem tutela triplicis generis, nimirum vel testamentaria, vel legitima, vel tandem dativa. Testamentaria est, qua pater liberis suis impuberibus, proxime in potestate constitutis testamento tutorem dat *§. 3. ff. de tut.* Legitima verò, quæ proximis pupilli successoribus defertur, *L. 1. pr. de legit. tut. & deficiente tutela testamentaria demum locum habet, pr. ff. de legit. agn. tut. L. 11. pr. de testam. tut. L. 1. & 6. de legit. tut. Nov. 11. c. 5. hæc enim servantes.* Nec ob solam prohibitionem patris ea persona cui lex tutelam defert, ab

ab eadem excludi potest. Carpz. *de jur. fam. dec. 2. pos. 1. n. 20.* Dativa tandem tutela est, quam magistratus ex potestate sibi specialiter tributa constituit, *L. 6. §. 1. ff. de tutel. §. 4. §. 5. J. de iur. & curat. L. 7. ff. rem pupilli salv. fore.* succedit nimirum eadem in locum deficientis tam testamentaria, quam legitima; nec non quando in testamento tutor quidem datur, sed sub conditione, aut ex certo die, tum enim quamdiu conditio vel dies pendet, tutor interim à magistratu datur; quemadmodum etiam tutor petendus est, quamdiu ex testamento, in quo tutor pure datur, nemo haeres existit, *§. 1. ff. de iur. & cur. L. 11. pr. de test. iur.* Vid. etiam Gothofr. in hocce textus.

§. XXXI.

Sed nonnihil de jure matrimoniali quoque impuberum dispicimus. Ubi imprimis quaeritur, an impuberes sponsalia, utpote qua nuptias praecedere debent, valide contrahere possint? Ad quaestionem hanc secundum scita juris canonici, cujus in matrimonialibus etiam apud Protestantes non parum invaluit autoritas, decidendam, distinguendum erit inter sponsalia de presenti, & de futuro, dicendumque, quod licet Impuberes ad sponsalia de presenti non admittantur, *c. final. X. de desp. imp.* Schneidew. *ad tit. J. de nupt. p. 2. n. 11.* eo quod in hisce nullus sit poenitentiae locus, *c. penult. X. de sponsal.* sponsalia tamen de futuro omnino contrahere possint, *c. 4. X. de desp. imp.* à quibus etiam ante pubertatem recedere non licet, *cap. 9. & sequ. X. eod.* Beuff. *de sponsal. c. 3.* Id tamen controversum est, an is, qui primus ad legitimam pubertatem pervenit teneatur alterius, qui adhuc impubes est, pubertatem expectare. Affirmare hoc ipsum non dubitant Beuff. *all. l. Beza de divori.* & Schneidewinus quoque *c. l.* sed negantium sententia potior videtur, eum nimirum, qui prius ad pubertatem pervenit, posse statim contradicere & à sponsalibus recedere, *c. 7. & 8. X. de desp. imp.* quemadmodum & ipfimet dissentientes fatentur, si is qui prior ad pubertatem pervenit, mutata

tatâ voluntate cum alia per verba de præfenti sponsalia contrahat, posterioribus hisce standum esse.

§. XXXII.

Quando impuberes sponsalia de futuro celebrare posse diximus, de impuberibus infantia majoribus id intelligendum esse conjecturatu haud est difficile. Infantes enim licet in illis non plane nunquam majorem intellectus energiam deprehendere licet, quam in puero infantiam supergresso, puta 8, 9, vel 10. annorum, nihilominus sponsalia contrahere nequeunt, sed si quæ inierint, irrita sunt, *L. 14. ff. de sponsal. it. c. 4, 5, & 13. X. de desp. imp.* Nec hic de Jure Canonico, ut circa ineundum matrimonium, malitia ætatem supplere potest, *arg. c. 2. X. de desp. imp.* differentia rationem monstrante *Fachin. 3. Controv. 26. & Ludwel. Exerc. 2. ib. 3. lit. B.* Ipsum autem matrimonium contrahendum quando impuberibus Jus Canonicum permittit, respiciendo ad malitiam ætatem suppletam, hæc suppletio in duobus fieri debet, nimirum tam ratione consensus conjugalis, quam potentia cohabitandi; hæc enim sola sine illa non sufficit, *Ludw. l. c.* Sed de jure civili impuberes plane matrimonium contrahere nequeunt, *pr. 7. de nupt. ibique Interpr.*

§. XXXIII.

Delati nunc sumus ad ea jura, quæ ad impuberes intuitu rerum spectant. Ubi obligationis materia primo considerari loco meretur. Admodum controversa DD. inter est quaestio, an contractu, quem pupillus tutore non adhibito celebravit naturaliter (quod enim de jure civili nulla hic sit obligatio, omni caret dubio, siquidem expresse LL. ad eam tutoris auctoritatem requirunt, §. 9. *J. de inur. stip. L. 9. pr. §. 5. & 6. ff. de aut. & cons. tut.*) obligetur nec ne? inveniuntur enim LL. quæ hoc ipsum aperte negant, scilicet *L. 41. ff. de condit. ind. & L. 59. ff. de Obl. & act.* & contra alia quæ id eum affirmant, ut *L. 1. in f. ff. de novat. L. ult. pr. ff. de jurejur. L. 21. in pr. ad SCt. Trebell. L. 25. §. 1. quando dies leg. ced. L. 127. de Verb. Obl. L. 44. & L. 95. §. 2. & 3. ff. de solut.*

Non.

Nonnulli cum Cujacio *ad d. L. 127. de V. O.* distinguendo inter casum, quo pupillus locupletior est factus, & eum, quo non est factus, hanc L.L. contrarietatem tollere conantur: Sed huic rei non videtur sufficiens hæc distinctio, cum pupillus etiam extra easum quo locupletior est factus nonnunquam naturaliter obligari dicatur, & adeo omnes L.L. quæ de naturali obligatione pupillorum loquuntur, commode ad pupillum locupletiozem factum restringi nequeant. Vid. Zofl. *ad ff. de O. & A. n. 46.* Ludw. *ad pr. j. de aut. tut. & Ex. 3. ib. 7.*

§. XXXIV.

Ideoque ad conciliandos ante allegatos textus distinguendum potius erit inter pupillos ætatis infantilis & pubertati proximos, dicendumque quod textus obligationem etiam naturalem negantes de illis, non de his accipiendi sint; affirmantes autem de his, non verò illis intelligendi, quod rationi etiam maxime consentaneum: nam eò infans ne quidem naturaliter obligari potest, quod in rebus ubi animi deliberatio requiritur, quales omninò sunt pacta atque contractus, furiosis æquiparentur, nec magis intelligere, quæ aguntur, aut affectu acquirendi duci putentur, quam incompetēs mentis, §. 9. *J. de inut. sup. Vinn. ibid. n. 3.* Pubertati contra proximi cum plerumque ad minimum, si non semper rationis usu infantes præpolleant, faciliusque adeo intelligere quid agatur et in id consentire possint, absconum haud est, eosdem ex conventionē sine tutoris etiam autoritate inita, minimum naturaliter obligari *L. fin. ff. de iurej. L. 25. de V. O. L. 95. §. 2. de solut. L. 25. ff. de Fidejuss. L. 21. in pr. ff. ad L. Falsid. Et L. I. in f. ff. de novat.* expresse dicitur, per promissionem à pupillo sine tutoris autoritate factam priorem obligationem novari; ex quo necessario fluit, quod pupillus si non civiliter, saltem naturaliter teneatur, cum novatio non fiat, nisi per transfusionem unius obligationis in aliam, dummodo sequens obligatio aut civilis aut naturalis sit. *d. l. 1. de novat.*

C 3

§. XXXV.

§. XXXV.

Dictum superius fuit, quod extra dubium sit, pupillos ex conventionibus citra tutoris auctoritatem initis civiliter non teneri; sed assertum hoc nonnullas admittit limitationes, (1) enim excipiendus est casus, si dolum committant, *L. 1. §. 15. de pos.* *L. 2. ff. de Fidej.* *L. 17. §. 1. ff. de dol.* *L. III. ff. de R. J.* (2) si ex re actio veniat, *L. 46. ff. de Obl. & act.* & (3) Si locupletiores sint facti, *L. 1. pr. & L. 5. pr. ff. de aut. & conf. tut.* *L. 1. §. 15. ff. de pos.* *L. 95. §. 2. de solut.* *L. 66. ff. eod.* *L. 3. pr. commod.* ita e. gr. obligantur etiam civiliter ex negotiorum gestione, si vel ipsi gesserint, & exinde facti fuerint locupletiores, *L. 3. §. 4. ff. de neg. gest.* vel etiam si alius urgente necessitate negotia eorum ita expedierit, ut inde facti sint locupletiores, *L. 2. C. de negot. gest.* sed & hic singulari favore impuberibus jus civile respexit, quod non, uti aliorum negotiorum gestione sufficiat, rem ab initio saltem esse utiliter gestam, *L. 10. §. 1. & L. 15. §. 2. ff. de neg. gest.* sed, ut negotiorum pupilli gestio etiam prosperum habeat eventum, requirat, *L. 2. C. de negot. gest.*

§. XXXVI.

Porro insigne privilegium impuberum id est, quod licet ipsi, ut monuimus, regulariter ex conventionione citra tutoris consensum inita non obligentur, alios tamen sibi obligent, si conventio ipsorum commodis velificare deprehendatur, ipsorumque intellectus in passibus utilibus pleno habeatur, *pr. ff. de autor. tut. l. 23. pr. ff. de pacti.* nisi cum percipiendo commodo damni forsan periculum conjunctum sit, unde e. g. hereditatem adire, bonorum confessionem petere, vel fideicommissum universale recipere non interveniente tutoris iudicio, nequeunt, *§. 1. ff. de aut. tut. l. 9. §. 3. & 4. l. 11. ff. eod. l. 18. §. 4. de jur. delib.* Impuberibus autem in potestate patria adhuc constitutis iustum & voluntatem patris in hereditate suscipienda sequi convenit, *l. 8. §. 1. ff. de acquirend. her.*

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Nec minorem favorem pupilli experiuntur ratione *usucapionis*, cum tempora *præscriptionis* legalis contra eos non currant; *L. ult. C. in quib. caus. min. in integr. rest. & res pupillares* adeo planè exemptæ sint *usucapioni & præscriptioni*, ita ut contra eos ne incipere quidem hæc vel illa queat, sed durantibus annis pupillaribus utraque plane quiescat & quasi dormiat, *L. 48. pr. ff. de acquir. rer. dom. L. 10. quib. mod. servit. amit. L. 3. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Ipsi verò Impuberes per se *usucapiendi facultatem* nihilominus habent, *l. 4. §. 2. ff. de usucap. 2. c. ibid. num. 6.* quoniam sibi possessionem & dominium acquirere possunt, *l. 1. §. 3. l. 32. pr. ff. de acquir. vel amit. possess. modo tamen sint infantia majores*, alioquin enim tutore autore possessionem cœperint necesse est, *l. 4. §. 2. ff. de usurp. & usuc.*

§. XXXIIX.

Certo in casu quoque jus civile pupillis hypothecam cum jure *prælationis* indulget, quando nimirum ipsorum pecunia res aliqua emta est, *L. 7. ff. qui pot. in pign. in bonis tutorum* autem factim habent hypothecam tacitam cum nullo privilegio, *L. 20. C. de administr. tut. L. pen. C. in quib. caus. pign. vel hyp. tac.* Præterea vel ipsæ *usuræ* pupillo debita in foro Saxonico hoc gaudent privilegio, ut hæc non minus ac fors ipsa, antequam reliquis Creditoribus satisfactum, ex solvendæ sint, *Carpz. P. I. consl. 38. def. 172.* cum tamen aliàs in foro Saxonico *usuræ* prius adjudicari haud soleant, quàm omnibus Creditoribus ratione sortis sit satisfactum *Carpzov. ibid. secus ac jure civili, l. 18. ff. qui pot. in pign.* Hoc tamen nonnulli ad eum casum restringunt, quando tutor pecuniam pupillarem in suos usus convertit, vel *usuras* ex pecunia pupilli ab alio recepit; quarum etiam posteriores *usuras* præstare tenetur, si usibus suis retinuerit, & ceu fortem alteri, ad percipiendas ab ipso *usuras*, dare neglexerit.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Circa alienationem rerum pupillarum itidem jus civile pupillis egregie prospexit, faciendo, ut immobiles & alia, quae servando servari possunt, nec ab ipso Impubere, nec ab ejus tutore alienari, aut in extraneum transferri possint, l. 22. C. de administr. tut. r. i. C. de praed. & al. reb. & c. l. 1. & tit. ff. de reb. cor. qui sub tut. nisi observatis probe omnibus LL. requisitis, ut nimirum (1) iusta alienandi causa & necessitas adsit, l. 12. & 13. C. de praed. & al. reb. min. l. 5. §. 9. ff. de reb. cor. & c. (2) Judex de ista cognoscat, l. 6. & 11. C. d. t. ii. cit. l. 5. §. 9. & 10. ff. de reb. cor. & (3) decretum suum solenniter interponat, d. l. 6. & 11. ii. 13. C. de praed. & al. reb. l. ult. C. cod. l. 22. C. de administr. tut. si vel unum horum requisitorum neglectum fuerit, alienatio ipso jure invalida, imò nulla est, l. 2. C. de praed. & al. reb. min. reliquis utut observatis. Alienationis autem vocabulum hic paulò latiore significatum obtinet, ita ut non solum venditionem innuat, sed quemcunque actum, qui rem ponit extra bona impuberis, vel ejus usum aufert, aut diminuit, sive sit dominii translatio, sive etiam pignoris, ususfructus vel aliarum servitutum constitutio. Schneidew. ad §. fin. J. de aut. tut. n. 25. Zael. ad l. ff. de reb. cor. qui sub tut. n. 1.

§. XL.

In Feudalibus tandem quid jura Impuberibus tribuant, videamus. Prima forsàn quaestio poterit esse: an & feudi constitutio Impuberibus sit permissa? quod negandum sane videtur, quia enim ipsis administratio bonorum non est concessa, feudum dare nequeunt, juxta regulam 2. Feud. 3. in pr. propositam, quod is, qui qualibet ratione aliquid de suis rebus impeditur alienare, nec per feudum possit investituram facere. Quamvis etiam tutorum autoritas & consensus accedat, d. 2. Feud. 3. in pr. nisi tamen adsit urgens rem in feudum dandi necessitas, de qua perinde ut in allodialibus cognoscat & Decretum suum interponat Magistratus oportet, si valida esse debeat feudi constitutio. Atque Decretum hoc requiritur non solum

lum ad res noviter in feudum dandas, sed ad eas etiam quæ jam antea feudum fuerunt, denuo infeudandas, Struv. *Synr. jur. feud. c. 5. aph. 4. n. 2.* aliud tamen dicendum de renovatione investituræ veteris feudi, quæ quidem citra decretum Magistratus, non tamen citra auctoritatem tutoris ab Impubere fieri potest, Hotoman. *ad 2. Feud. 3. in pr.*

§. XLI.

An Impuberes citra intervenientem tutoris auctoritatem feudum acquirere possint? altera sit quæstio, quæ de Impuberibus ætatis infantilis neganda, de pubertati autem vel infantia proximis affirmanda videtur. Equidem Vultejus *l. 1. c. 4. n. 6.* & cum eo alii planè negandum censent, infantem feudum accipere posse, eò, quod illi, perinde ut furiosi, nullum negotium, tutore autore, gerere possint, *l. 5. ff. de R. J.* ut adeo tutor potius infantis nomine feudum accipere dicendus sit. Sed ni nodum in scirpo quærere nobis volupe sit, pari ratione ac infans tutore autore possessionem acquirere posse dicitur, *l. 32. §. 2. de acqu. vel amitt. poss.* etiam feudum acquirere ejus auctoritate dici poterit. Ad argumentum ex *l. 5. ff. de R. J.* respondet Hunn. *in Tract. Feud. c. 8. p. 138.* Infantia autem & pubertati proximos etiam sine tutoris auctoritate feudum acquirere posse patet ex *2. F. 26. §. si minori.* cujus rei ratio est, quod Impuberes etiam non adhibito Tutore conditionem suam meliorem facere possint, *pr. J. de aut. tut.*

§. XLII.

Tertiò quæri hic potest: *Utrum Impuberes feudum acquirere ad fidelitatis juramentum teneantur?* quod affirmare non dubitat Vultejus *de feud. lib. 1. c. 3. n. 7.* eò quod ad investituræ solennitatem vel maximè requiratur fidelitatis promissio, quæ nonnisi per juramentum validè fieri possit, adeo ut exinde hocce juramentum simpliciter nomine fidelitatis veniat *2. Feud. 3. in fin.* verùm cum Impuberes per ætatem, quid jusjurandum in recessu habeat, vix satis perspicere possint, asserendum potius videtur, juramentum fidelitatis ad
D
puber-

pubertatis usque annos esse differendum, 2. F. 26. §. si minor.
 Si quartò quærat: *an tempus petenda investitura etiam aetati pupillari currat?* respondendum: licet aliàs à tempore contingentis mutationis intra annum & diem renovationem investituræ Vassallus sub pœna amissionis feudi petere debeat, 2. Feud. 24. pr. ii. 2. F. 40. & 2. Feud. 52. §. 3. nec non 55. in fin. Schnob. D. 5. eb. 14. Impuberes tamen excusari, etiamsi tutores habeant, ita ut nec ipsi, nec tutores ad petendam renovationem investituræ & fidelitatem præstandam compelli possint. 1. Feud. 22. pr. junct. 2. F. 55. §. præterea, Rosenth. e. 6. concl. 41. idque à quibusdam adeò extenditur, ut duobus filiis feudum commune habentibus nec investituram debito tempore petentibus, major propter minorem excusetur, Vultej. c. 7. n. 66. Sed hoc tum demum concedendum videtur, si feudum commune sit individuum, secus enim pronunciandum si illud divisionem admittat Rosenth. e. l. Carpz. P. II. Const. 45. def. 19.

§. XLIII.

Fere obliti essemus eorum, quæ jura circa actus ultimæ voluntatis Impuberum disponunt, quæ paucis adhuc delibanda erunt. Testamentum cum nihil aliud sit, quam testatio mentis, h. e. supremum sive ultimum mentis judicium pr. 7. de test. ord. L. 1. ff. qui test. fac. poss. Impuberes autem nullum mentis judicium habere credantur, §. 1. Inst. quib. non est permitt. fac. test. perfectum scilicet & tale, quale in hoc elogio requiritur; impuberibus testamenti factio competere non potest, d. §. 1. 7. L. 5. & 19. ff. qui test. fac. L. 4. C. eod. L. 1. §. 8. ff. de bon. poss. ff. sec. tab. L. fin. C. de test. mil. idem statuendum de fideicommissis & codicillis, quippe quos ille demum relinquere vel condere potis est, qui testamenti factionem habet, L. 6. §. pen. L. 8. §. 2. & 9. ff. de jure Codicill. L. 5. C. eod. L. 2. de leg. 1. L. 1. §. 1. de leg. 3. ut & de donatione mortis causa, L. 15. ff. de mort. caus. donat. ita ut ne quidem tutoris autoritate hos actus impuberes gerere possint, L. 1. §. 1. ff. de tut. & rat. distr. L. 32. ff. de hered. inst.

inst. quia testamenti factio propria non aliena prudentia fieri debet, *pr. J. de test. ord.*

§. XLIV.

Aliter igitur jus civile hoc in passu Impuberibus prospexit iis, qui adhuc sunt in sacris paternis, iutroductâ nimirum pupillari substitutione, quæ fit filiofamilias impuberi à parentibus, quorum in potestate est, in casum, quo hæres existens in ætate pupillari decesserit, *pr. J. de pupill. subst. l. 2. §. ult. & passim. ff. de vulg. & pup. subst.* estque vel expressa, quando nimirum conditio illa: *Si filius quidem heres erit, sed intra pubertatem decesserit, exprimitur*; vel tacita, quæ sub vulgari expressa continetur, *l. 4. in pr. & §. 2. ff. de vulg. & pup. subst.* nisi tamen aliunde de contraria patris voluntate constet, ut in *l. 39. §. 1. ff. eod. l. 2. C. de impub. & al. subst.* Requiritur autem ad hanc substitutionem, ut liberi in potestate substituētis sint, *pr. J. de pup. subst. lib. 2. pr. ff. de vulg. & pup. sub.* unde nec mater, nec reliqui parentes, qui liberos in potestate non habent, substituere possunt, *l. 2. pr. & §. 10. J. de adopt.*

§. XLV.

Tandem ad criminalia erit accedendum, & quemnani favorem in iis Juris indultu Impuberes experiantur, considerandum. Inter causas nimirum mitigandarum pœnarum, à jure vel consuetudine introductarum (sine prægnanti enim causâ mitigatio fieri vix debet, *l. 1. §. 3. ad Senat. Turpill. l. 15. in pr. ff. ad municip. l. 14. C. de pœn.*) haud postrema est tenella ætas, *l. 108. de R. J.* quia enim delictum ex proposito & animo doloso delinquentis æstimari debet, *l. 1. ad L. Corn. de sicar. l. 53. pr. ff. de furt. l. 33. ff. de injur.* Impuberes autem perfectum judicium & consilium non habeant, *C. 1. X. de sentent. Excomm.* utique mitius puniendi sunt, *c. 1. de delict. puer.* Quapropter in supplicio delinquenti impuberi irrogando secundum ætatem, maximè verò secundum doli capacitatem sententia ferri debet. Unde infantes, qui furiosis assimilantur, *l. 60. ff. de rei vind.* item dormienti-

bus

bus in Clem. un. de homicid. ex delicto non obligantur, nec penam per consequens incurrunt, l. 7. C. de pen. cum consilii innocentia eos tueatur, l. 12. ff. ad L. Corn. de sicar. imo nec proprie delictum committunt, e. g. non furtum l. 23. ff. de furt. quia hoc sine affectu furandi non perpetratur, §. 18. §. de Obl. quæ ex delict. nasc. unde licet damnum dederint, actio L. Aquilæ tamen cessat, perinde ac si quadrupes pauperiem fecerit, l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. nec, si hominem forte occiderint, L. Cornelia de sicariis tenentur, l. 12. ff. ad L. Corn. nec ex L. Pompejâ de parricidis conveniuntur, l. 9. §. 2. ff. ad L. Pomp. licet autem à pœna LL. constituta immunes sint, castigationi tamen vel parentum, vel Magistratus, pro diverſitate perpetratorum subſjici debent, ne impunitatis indulgentia ipsos ad scelera invitet.

§. LXVI.

Ex dictis consequitur, infantes à torturâ quoque debere esse immunes. Reus enim tormentis aliter interrogari non potest, quam si conditio personæ hoc patiat, l. 8. §. 1. C. de quest. nec infantes solum ætas ipsorum contra torturæ asperitatem tueri videtur; sed & reliquos Impuberes, l. 10. pr. & l. 15. §. 1. ff. de quest. Licet enim hos imbecillitas judicii ab omni pœna non liberet, quæſtioni tamen neutiquam sunt subſjiciendi, ne ex intolerantia tormentorum, quæ teneriores minus utique ferre possunt, quam adultiores, delicta confiteantur, quæ nunquam ab ipsis perpetrata fuerint. Territo tamen per instrumenta locum hîc habere potest, imò si nimium sint gravati impuberes, ferulis etiam cædi possunt, l. 1. §. 33. ff. de Str. Silan. Carpz, Pr. Crim. P. 3. qu. 118. n. 14.

F I N I S.

47.

ULB Halle
001 972 26X

3




s. b.

vd 18







DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
SISTENS

**JURA
IMPUBERUM,**

QUAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,
S. R. I. COMITE DE BOINEBURG,**

SACRAE CAESARAE ATQVE REGIAE CATHOLICAE MAJESTATIS CONSILARIO
INTIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarUM MO-
GUNTINAE ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITVLARI SENIORE, ET RESPECTIVE
SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-
GUNTINI CONSILARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQVE
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE,

CONSENSU INCLYTI JCTORUM ORDINIS
IN PER-ANTIQA GERANA,

PRÆSIDE

DN. JO. HENRICO Meier/ JCTO,

EMINENTISS. PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNT. CONSILIAR. HUIUS REGIMINIS,
JUDIC. PROVINCIAL. ASSESSORE PRIMAR. PROF. DECRETAL.
PUBL. FACULTAT. JURID. P.T. DECANO
ET SENIORE,

PATRONO SUO SUSPICIENDO,

PRO DIGNITATE DOCTORALI

ET SUMMIS INUTROQVE JURE PRIVILEGIIS ATQVE
IMMUNITATIBUS RITE AC SOLENNITER
CONSEQVENDIS,

IN AUDITORIO MAJORI, HORIS CONSVETIS,

DIE X. MAJI ANNO M DCC XV.

PUBLICÆ DISQVISITIONI SUBM.

**JOANNES CHRISTIAN. OELSELIUS,
LUCCA-LUSAT.**

ERFORDIAE, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

*John, Nov.
Widmung!*

6

*12/15,
5b*

